

quae, praecisione facta a testimonio traditionis, per solam analysim ex verbis Christi colligi possunt. Ioannes enim Iahn in disquisitione, quam super hac re habet (exstat in Appendice operum edit. Tubingae 1821 pag. 292 seqq.), monet quod conclusio de necessitate confessionis non est nisi quaedam conclusio theologica ex verbis Christi: tales vero conclusiones e sententia theologorum non sunt articuli fidei. Porro, addit, cum Ecclesia novos articulos condere non valeat, nequit efficere ut conclusio ea, quae per se non est articulus fidei, evadat articulus fidei.

Respondeo 1º Qui sic argumentatur, videtur oblitus vim catholicae traditionis. Cum enim totum depositum fidei traditioni continetur, fieri profecto potest, ut id, quod ex solis sacrae Scripturae verbis est tantum conclusio theologica, immediate continetur in traditione, quae doceat quoque hunc esse sensum Scripturae, et ita veritas sit fidei credenda.

2º Cum ex analysi verbi scripti theologus argumentatur, certitudo, quam ipse vi sua demonstrationis vindicare potest conclusio, est tantum humana; colligit scilicet aliquid esse revelatum, sed ope medii scientifici, quod certitudinem fidei gignere nequit: attamen hac methodo utendum est adversus Protestantes, qui solum postulant ut ex Scripturis hermeneutice demonstretur factum revelationis alicuius veritatis.

His positis respondeo 3º Certum est verbis Christi contineri doctrinam de potestate facta Ecclesiae remittendi et retinendi fidelibus quaelibet peccata et de necessitate subiectionis ad illam. Id certum est scientifice vi solius analysis, et certum est certitudine fidei propter testificationem Ecclesiae. Constat ex Thesibus VIII. X.

Respondeo 4º Certum est rursus utraque certitudine ex utroque fonte sacerdotes esse iudices constitutos in exercitio huius potestatis. Liqueat ex th. XI.

Respondeo 5º Quod tandem sacerdotes sint iudices circa ipsa peccata, et idcirco confessio distincta eorum requiratur, contendimus id quoque scientifice ex solis verbis Christi probari, si ex iis probatur Apostolos institutos fuisse iudices in causis violatis iuris divini, cum potestate poenas idoneas iniungendi. Index enim cognoscere debet clare et distincte causam, super quam fert sententiam: cum ergo sententia absolutionis aut retentionis ferenda sit super peccata, haec cognoscenda sunt, nec satis est nosse dispositiones: poenae vero, cum proportionatae esse debeant, exigunt praevertem notitiam criminum.

#### THESIS XXXIV.

*Ex celebri Nectarii historia adeo nihil colligere possunt haeretici contra catholicum dogma de necessitate confessionis, ut ex ea potius illud magis confirmetur. Neque proficiunt magis haeretici ad s. Ioannem Chrysostomum provocantes, aut ad historiam primorum seculorum, aut tandem ad Scripturas.*

I. Quid fecerit Nectarius narrat Socrates L. V. c. 19. quod oportet exponere. « Sub idem tempus presbyteros Ecclesiarum, qui poenitentiae praeerant, placuit abolere; idque ob huiusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia seiunxissent eo quod cum illis, qui in persecutione deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore Episcopi Poenitentiarum Presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur. Et apud alias quidem sectas haec regula etiam nunc perseverat. Soli vero Homousiani et qui cum illis in fidei consentiunt Novatiani presbyterum poenitentiae praepositum reiecerunt. Nam Novatiani ne initio quidem supplementum hoc admirerunt. Homousiani vero, qui nunc Ecclesias obtinent, cum hoc institutum diu retinuerint, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt ob facinus quoddam, quod in Ecclesia commissum fuerat. Mulier quaedam nobilis ad Poenitentiarum Presbyterum accedens delicta post baptismum a se perpetrata singulatim ( $\chi\chi\tau\alpha \mu\sigma\omega\zeta$ ) confessa erat. Presbyter vero praecepit mulieri ut ieuniis et orationibus continua vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam poenitentiae ostenderet. Progressu temporis ( $\eta \delta\varepsilon \gamma\gamma\eta \pi\rho\beta\alpha\gamma\eta\omega\zeta$ , quidam interpretantur: mulier longius in confitendo progressa; sed nec necessaria est haec interpretatio nec cohaeret cum praecedentibus, quae iam absolutam confessionem et impositam satisfactionem significant, eique refragatur Sozomenus, qui idem factum referens (L. VII. c. 16.) narrat peccatum sequens admissum fuisse cum mulier in Ecclesia, adimplendae poenitentiae causa, diutius morabatur; duplex ergo fuit confessio. Cf. Henricum Valesium ibid.) mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiae videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem ab Ecclesia electus est, populus vero graviter commoveri cepit. Neque enim ob scelus, quod patratum fuerat, indignabantur, verum etiam eo quod labes haud medicris atque infamia hoc facto adspersa videbatur Ecclesiae. Cum igitur ob hanc causam ecclesiastici homines dictierent, Eudae-mon quidam Episcopo suasit, ut Poenitentiarum quidem presbyterum

expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere ». Addit Socrates se eidem Eudaemoni, a quo ait hanc se accepisse historiam, haec dixisse: « Consilium tuum, o presbyter, utrum Ecclesiae profuerit, an non, Deus viderit. Ceterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant nec obseruent praeceptum illud Apostoli: nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite ».

Sozomenus I. c. ita narrat « Per idem tempus Nectarius Constantinop. Episcopus presbyterum illum, qui praepositus erat poenitentibus, primus ex Ecclesia sustulit. Cuius exemplum omnes fere Episcopi postea sunt secuti. Quid autem hoc sit, et unde originem sumpserit et quam ob causa sublatum sit, alii quidem aliter fortasse narrant: ego vero ea dicam quae sentio. Cum in nullo penitus peccare divinioris cuiusdam naturae sit et humana praestantioris, poenitentibus vero, etiamsi saepius deliquerint, veniam dare Deus praeceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat: grave ac molestum ab initio iure visum est, sacerdotibus tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos consibebantur. Ille vero pro uniuscuiusque delicto, quid aut facere singulos aut ferre oporteret, poenae loco indicens, absolvebat confitentes a se ipsis poenas criminum exacturos ». Subdit id moris in Occidentalibus Ecclesiis ac praesertim Romana observari; verum describens deinceps morem Ecclesiae Romanae, describit poenitentiam publicam eiusque praepositorum significat esse Episcopum. Pergit « in Constantinop. Ecclesia autem certus presbyter constitutus erat, qui poenitentibus praeesset. Donec matrona quaedam nobilis etc » Eodem modo Sozomenum prorsus exscribens narrat factum Nicephorus Callisti L. XII, c. 28.

Calvinus Instit. L. III, c. 4. hac historia relata subdit: « Hic aures asini isti (Catholici) arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere et convellere »? Nempe Calvinus non negat usum fuisse confessionis, sed negat eam fuisse habitam ut necessariam ex divina institutione. Dallaeus vero celeber inter calvinianos propter opus quatuor libris comprehensum de Sacramentali sive auriculari latinorum confessione, L. IV. c. 24. infert non quidem abrogatam fuisse privatam confessionem, quae nondum esset, ut ipse contendit; sed potius nullo tum apud christianos in usu fuisse. Id ex silentio horum scriptorum, qui de pri-

vata confessione mentionem non faciunt atque ex licentia a Nectario omnibus facta, potissimum colligit. Disputabimus deinceps speciatim de privata sive auriculari confessione: nunc satis sit advertere ad essentiam Sacramenti quod spectat perinde esse sive confessio sit publica sive secreta, quaestionemque esse de necessitate confessionis non de eius modo.

II. Itaque primo advertimus, Francolinum, qui in opere *Clericus Romanus* p. I. disp. 6. difficultates solvit ex ea historia petitas, in Opere de Disciplina poenitentiae deinceps scripto L. I. c. 5. respondere dicendo *historiam esse omnino improbabilem*. Spectat vero historiam quoad omnes suas partes simul. Si enim dicatur Nectarius sustulisse Poenitentiam publicam, improbabile Francolino videtur quod hi historici narrant, exemplum Nectarii, qui nec doctrinae nec sanctitatis fama vigebat, secutos esse omnes Orientis Episcopos: cum praesertim ea aetate adeo haberentur in pretio canones poenitentiales a Basilio et Nysseno editi, qui poenitentiam quoque publicam pro certis criminibus praescribunt; neque probabile videtur Nectario saltem Nyssenum auctorem Canonum non restituisse. Addi etiam potest nec satis probabile esse originem, quam huius munieris refert Socrates: nec Sozomenum, qui aliam prodit originem, sibi cohaerere, cum exhibeat presbyterum secreto audientem peccata et secrete absolventem, eumque simul comparet Episcopo in Ecclesia Romana publicam poenitentiae actionem danti et publice absolventi. Sed haec responsio theologo non est necessaria, qui non crisim historicam facti, sed tantum quid ex eo, quod refertur, afferri possit contra catholicam traditionem inquirit. Ceterum quod ad huius narrationis veritatem historicam cf. Dissertationem hac super re Fr. Ant. Zaccaria inter eius dissertationes latinas.

III. In primis liquet ex hac historia confirmari dogma catholicum. Confirmatur a testimonio Scriptorum testantium institutionem ab initio vel a persecutione Deciana presbyteri poenitentiarum, penes quem peccata sua fideles confiterentur. Et quia presbyter iste id facere debebat, quod prius solus faciebat Episcopus; ergo semper in usu fuit confessio peccatorum, quam Sozomenus asserit simpliciter esse necessariam. Discremen vero e mente horum historicorum inter morem praecedentis aetatis et subsequentis Decianam persecutionem non in eo collocandum est, quod prima aetate peccata omnia publice poenitentes confiterentur, pro peccatis enim occultis nunquam ab Ecclesia fuit praecepta publica aliqua confessio aut poenitentia (Th. seq.): neque in eo collocandum censemus quod peccatorum graviorum et publicorum confessio sacramentalis publica fuerit praecepta; aliud est enim quod in quamdam vindictam criminum publici pec-

catores iubeantur publice in conspectu Ecclesiae veniam eorumdem exorare, eaque confiteri, aliud est quod haec publica manifestatio haberetur necessaria pro ipsa confessione sacramentali (Th. seq.): hoc alterum vero ex veterum monumentis nequit demonstrari, nec satis cohaeret cum institutione Christi (Th. seq.). Discrimen proinde in eo putamus collocandum esse, quod antea publici peccatores in vindictam criminum et sub ratione cuiusdam poenitentiae deberent se reos eorumdem singillatim fateri veniamque exorare coram universa Ecclesia. Id, etsi crima iam sint nota, grave et molestum est. Mutatio autem inducta fuit, ut omnes secreto tantum confiteri tene- rentur Presbytero vel Episcopo, qui poenitentiam vel privatam vel publicam pro conditione peccatorum iniungerent, seposita ea speciali publica confessione. Cf. Zaccaria l. c.

Porro confessio, quae uni siebat, in eum siebat finem ut absolutio obtineretur; confitentes enim, ut Sozomenus ait, presbyter absolvebat: atqui haec est confessio sacramentalis. Confirmatur ab ipso facto mulieris nobilis, quae confessa est huiusmodi presbytero peccata sua post baptismum admissa *singillatim*: habes ergo usum confessionis distinctae omnium peccatorum; ea vero confessio fuit certe Sacramentalis, cum facta fuerit Sacerdoti, qui confitentes absolvebat poenas a se ipsis deinceps exacturos, eamque confessionem absolutio secuta esse dicenda est; cum peccatum stupri acciderit dum poenitentiam agebat, quam post absolutionem fieri consuevisse indicat Sozomenus. Ex his evidens est confessionis omnium peccatorum usum pro absolutione obtainenda ad initio extitisse in Ecclesia.

IV. Quid ergo abrogavit Nectarius? Non certe usum confessionis simpliciter. Ratio est 1) quia de hac re ne verbum quidem in hac historia; aliud enim prorsus est abolere munus presbyteri institutum ab Ecclesia, aliud abolere confessionis usum, qui et ante illam institutionem vigebat. Porro de abolitione tantum prioris loquuntur historici. 2) Illud abrogavit Nectarius, quod causa fuit vel occasio scandali illius: atqui, etsi ex horum Scriptorum narratione haud satis clare constet quid illi scandalo populiique offensioni occasionem praebuerit, attamen satis est evidens non indicari heic confessionem sacramentalem. Sed vel fuit quidam modus indebitus confessionis, puta imprudentia mulieris, quae quum sciret se confiteri illi, qui publicae poenitentiae praeerat, crimen coram aliis evulgavit putans id sibi licere, vel abusus quidam fuit presbyteri, qui notitiam secreto acceptam Episcopo communicavit, vel aliquid huiusmodi; divinare enim oportet, cum manca sit hac in parte narratio historica. 3) Illud abrogavit Nectarius, quo, ut monet Socrates, fiebat, ut delicta sua invicem homines coarguerent; atqui rursus id non est simpliciter

confessio, sed aut publica ipsa poenitentia aut publica etiam reprehensio criminum facta ab eo, qui poenitentiae praerat. 4) Quod iuxta hos historicos sustulit Nectarius, sublatum item fuit in toto Oriente a ceteris Episcopis; atqui usus confessionis viguit post Nectarium, ut patet ex Poenitentiali Ioannis Ieiunatoris; imo, ut videbimus, ex praxi ipsius Chrysostomi.

Abrogavit autem munus presbyteri Poenitentiarii publicaeque poenitentiae proxim obligatoriam, pro qua indicenda ille erat speciatim constitutus. Sane id est, quod testantur disertis verbis Scriptores ab initio huius historiae, quam referunt in eum finem ut notum faciant cur in Ecclesia Constanti. sit illud munus abrogatum. Porro munus presbyteri poenitentiarii proprium, prout erat munus certo tempore ab Ecclesia institutum, non erat simpliciter confessio audire, quamquam et ipse secretas confessiones audiret; sed poenitentes ad publicam poenitentiam admittere atque ad eam vel hortari, si crimen occultum esset, censeretur tamen expiable quadam poenitentia publica, vel delinquentes a se ipso in id invigilante cognitos vel ab aliis delatos ad publicam poenitentiam cogere, negata ipsis sacri altaris communione. Id constat ex bac ipsa narratione Sozomeni; ait enim presbyterum poenitentiarium id egisse Constantinopolis quod Episcopus Romae: porro quod refert et describit ex more romano Sozomenus, est praxis publicae poenitentiae, cuius praepositum esse episcopum docet. Cum ergo sublatum sit a Nectario presbyter, qui id Constantinopoli agebat quod Romae Episcopus, illud autem quod Romae Episcopum agere dicit historicus, cuius simile munus agebat Bysantii presbyter poenitentarius, sit actio publicae poenitentiae, presbyterum prout huic officio praepositum dicendus est Nectarius sustulisse. Huc facit quod ait Socrates, ablato eo presbytero non amplius posse homines invicem se arguere, illo enim abrogato et delationes peccatorum et publica confessio genera- ria saltem sui reatus et mutua coargutio, quae in ipsa publica poenitentia continebatur, sublatae erant.

Quid ergo praestitit Nectarius, cum *unumquemque pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum, sive ad sacrorum mysteriorum*, ut ait Sozomenus, *communionem permisit accedere?* Respondemus cum Natali Alexandro (Dissert. De Sacram. Confess. op. T. ult.) Nectarium neminem laicorum ad poenitentiam publicam ex illo tempore compulisse, sicut antea; quidam enim prius eam peragebant, ii nempe qui ad Poenitentiarii Sacerdotis tribunal deferebantur, vel quos ipse in vitam et mores fidelium inquirendo, alicuius criminis reos manifestos invenerat, ii enim ad poenitentiam publicam compellebantur, nec prius accedere sine-

bantur ad mysteriorum communionem, quam his officiis functi es-  
sent. Amoto autem ministerio publicae poenitentiae, huiusmodi di-  
latio, quae ex iudicio presbyteri poenitentiarii pendebat, permissa  
est arbitrio cuiusque, ut reconciliatus posset pro voluntate accedere.  
Non vero Nectarius declaravit siveles peccatorum lethalium reos  
ad confessionem illorum apud Sacerdotem ex officio et iure divino  
non teneri, quamvis ad id officii noluerit, ut diximus, publica au-  
toritate aliquos cogi; quod prorsus aliud est ac obligationem confes-  
sionis tollere, ut ex praesenti disciplina liquet. Cf. cl. Hurter Tr.  
cit. n. 544.

V. Provocatur specialim ad S. Ioannem Chrysostomum: cuius  
plura proferuntur testimonia. « Erubescis enunciare peccata? sane  
si coram hominibus ea dicenda essent et divulganda, non tamen  
ita pudore te oporteret.... iam vero neque necessarium est testibus  
praesentibus confiteri.... Deus te confitentem solus audiat.... Quid  
tibi prodest si minime confitearis? non enim potes latere: quam-  
vis non dixeris, ille novit » (hom. non esse ad gratiam concio-  
nandum.).

« Quisnam ille frigidus multorum sermo? vereor, inquiunt, pu-  
dore suffundor, neque possum vel os deducere. Satanica est haec  
verecundia... quamobrem etiam atque etiam hortor rogo et oro ut  
frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuo-  
rum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam  
tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera » (hom. 5<sup>a</sup>. De In-  
comprehensibili).

« Cur te quaeo pudet et erubescis dicere peccata tua? num e-  
nim homini dicis ut te probro afficiat? num conservo tuo confiteris  
ut te in publicum proferat? Imo vero ei, qui Dominus est, ei qui  
tui curam gerit, qui medicus est, ostendis vulnera... non, inquit,  
cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhucere testes;  
mihi soli dic peccatum tuum » (hom. 4<sup>a</sup>. in Lazarum).

« Propterea Paulus dixit: probet autem se homo, et sic etc.  
Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem pro-  
duxit, non delictorum testes statuit; intus in conscientia, adstante  
nemine, praeter eum, qui cuncta videt, Denun, iudicium et examen  
peccatorum statue, et vitam omnem recogitans in mentis iudicium  
peccata deducito, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia  
sacram attinge mensam » (hom. 6<sup>a</sup>. De Poenitentia secundum editio-  
nem maurinam).

« Qui haec fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiae adiumento  
et ad confessionem facinorum festinare et ulcus ostendere medico,  
qui curat et non exprobrat, atque ab illo remedia accipere ac soli,

ei loqui, nullo alio conscio, et omnia ei dicere cum diligentia, fa-  
cile peccata sua emendabit, confessio enim peccatorum abolitio est  
delictorum.... Num grave aliquid Deus requirit? contritionem cor-  
dis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, assiduitatem con-  
tinuam ». (hom. 20<sup>a</sup>. in Genesim).

« Probet se ipsum unusquisque, et tunc accedat. Nec praecipit  
ut alter alterum probet; sed ut quisque se ipsum, iudicium sta-  
tuens quod non sit publicum, et probationem sine testibus »  
(hom. 28<sup>a</sup>. in 1<sup>a</sup>. Cor.).

« Nec nos dicamus peccatores tantum, sed etiam peccata recen-  
seamus, speciatim unumquodque enumerantes. Non tibi dico ut ea  
tanquam pompam in publicum proferas, neque ut apud alios te ac-  
cuses, sed ut pareas Prophetae dicenti: revela Domino viam tuam.  
Apud Deum ea confitere, apud iudicem confitere peccata tua, orans  
si non lingua, saltem memoria » (hom. 34. in epist. ad hebr.).

« Si hoc fecerimus (dimitentes iniurias) poterimus pura consci-  
entia ad sanctam et terribilem hanc mensam accedere. Proinde unius-  
cuiusque conscientiae relinquo quomodo mandato illo impleto per  
illud terribile tempus haec (quae in liturgia dicuntur) fiderem  
dicere possimus » (hom. 27<sup>a</sup>. in Genesim).

« Ego testificor..... fide iubeo fore ut si nostrum quisque, qui  
peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis ex animo vere-  
que promittat Deo se postea nunquam ad illa redditum, nihil  
amplius Deus requiret ade xcusationem maiorem »: (hom. de S. Phi-  
logenio quae est 6<sup>a</sup>. contra Anomaeos).

In homiliis de poenitentia plures enumerat poenitentiae vias. In  
hom. 2<sup>a</sup>. quae inscribitur de poenitentia et maestitia regis Achab,  
ait: « Peccasti? dic Deo: peccavi. Quis hic labor est?.... nihil aliud  
abs te nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura: dic tu peccata  
tua primus ut iustificeris.... Habes alteram poenitentiae viam: quam  
tandem illam? peccatum flere. Peccasti? fletu, et peccatum solvis...  
Habes tertiam poenitentiae viam: quaenam est? humilis esto, et  
peccatorum vincula solvisti ». In homilia sequenti pergit enumerare  
alias poenitentiae vias: quartam eleemosynam, quintam orationem;  
tum subdit: « plures alias poenitentiae vias in Scripturis invenies ».  
Et post pauca: « quoties peccasti, peccati poeniteat, neque desperes.  
Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, age poenitentiam.  
Deo soli dic peccatum tuum ». In hom. 4<sup>a</sup>. et 5<sup>a</sup>. et 7<sup>a</sup>. nihil ad  
rem nostram habet. Ex hom. 6<sup>a</sup>. iam verba citavimus: in hom. 8<sup>a</sup>.  
loquitur de pudore poenitentiae, quem invertens ordinem iniicit  
diabolus.

In catechesi 2<sup>a</sup>. ad Illuminandos, quae falso inscripta fuit 21<sup>a</sup>. de

statuis ait: « nec hoc tantum est mirabile quod nobis peccata dimit-  
tat, verum et quod ipsa non revelet, nec faciat manifesta, nec ac-  
cedentes cogat in medio patrata edicere, sed sibi soli rationem reddere  
iubeat et sibi confiteri.... Peccata dimittit, nec cogit praesentibus  
quibusdam ipsa enunciari ».

Citatur quoque hom. 2<sup>a</sup>. in Psal. 50<sup>m</sup>, quae quidem ut spuria  
reiicienda est, assumpta ex commentariis Theodoreti in eundem Psalmum,  
qui tamen ea non habet quae proferuntur, et ex aliis locis  
Chrysostomi: ibi haec leguntur. « At pudet te peccata confiteri? dic  
ea quotidie in oratione. Non dico ut ea exponas conservo tuo, qui  
te probris impetat, dic Deo, qui iis medetur.... Quid molestum est  
in lecto iacentem quotidiana peccata supputare? »

VI. Haec sunt, quae ex Chrysostomo producuntur. Iam vero quid  
exinde probare contendunt adversarii? nempe censuisse Chrysostomum  
remissionem peccatorum obtineri posse sola contritione et con-  
fessione peccati apud Deum absque ministerio Sacerdotis ita ut hoc  
non sit necessarium; hic enim sensus prodit manifeste, si verba  
Chrysostomi accipiantur secundum adversariorum interpretationem;  
soli enim Deo facienda est confessio peccati: at qui se subiicit sa-  
cerdoti, ei aliquo vero modo fatetur peccata sua. Atqui evidens est  
non id censuisse Chrysostomum, sed fuisse in alia sententia, scilicet  
remissionem peccatorum obtinendam esse ministerio potestatis clav-  
ium, et subiectionem huic potestati homini necessariam esse ut  
salus obtineatur. Sane, quod iam vidimus, ipse in L. III. De Sacer-  
dotio c. 5. docet a Christo collatam Sacerdotibus (licet de Episcopis  
directe loquatur, non excludit tamen Sacerdotes secundi ordinis, ut  
patet ex citatione Iacobi V. 14) esse potestatem remittendi peccata;  
porro hanc potestatem ibidem talem esse dicit, ut sine ea permissum  
nobis non sit salutem et promissa nobis bona consequi. Testatur  
autem ibid. potestatem hanc non esse solum remittendi peccata  
admissa ante baptismum, sed et quae post baptismum patrata sunt.  
Porro si ita est, nequit obtineri remissio peccati sola eiusdem con-  
fessione ad Deum, ut volunt haeretici. Interpretatio ergo haereticorum  
repugnat Chrysostomo.

Praeterea huic interpretationi repugnat id, quod historia testatum  
relinquit. In Synodo enim ad Quercum Isaacius Episcopus inter alias  
accusationes hanc quoque protulit adversus Chrysostomum: « quod  
licentiam (scilicet peccandi) peccatoribus praebaret dicens: si iterum  
peccasti, iterum poenitentiam age, et quoties peccaveris, veni ad  
me, ego te sanabo ». Ex hoc constat solitum fuisse Chrysostomum  
excipere poenitentes eosque sanare, ac censuisse et docuisse poen-  
tentiam, quae agenda est, esse agendum penes Sacerdotem, qui

medicinam peccatis adhibet, quique sanat remittendo peccata. Quod  
vero reprehenditur, licet per calumniam, in Chrysostomo, non est  
exercitum huius potestatis, sed nimia benignitas. Porro adverte haec  
Chrysostomo obiici non adhuc presbytero Antiocheno, sed Episcopo  
Constantinopolitano successori Nectarii. Itaque evidens est interpretationem  
haereticorum falsam esse.

Rursus constat plures ex quibus obiiciuntur praedicta testimonia,  
dicta esse Antiochiae: constat pariter aetate Chrysostomi viguisse  
Antiochiae poenitentiae publicae usum; confer homiliam 3<sup>m</sup>. de Davide  
et Saule n. 1<sup>o</sup>, hom. 17<sup>m</sup>. in Matthaeum versus finem, hom. 3<sup>m</sup>. in  
epist. ad Ephesios, n. 4<sup>a</sup> dictas omnes Antiochiae. Iam vero praxis  
poenitentiae publicae includit fidem necessitatis subiectionis potestati  
clavium pro reconciliatione obtainenda: absonum est autem arbitrari  
aut Chrysostomum aliter sensisse in Ecclesia, in qua educatus fuit,  
aut voluisse removere auditores suos a praxi et doctrina, quae com-  
munis erat: ergo non hic est sensus verborum Chrysostomi in ho-  
miliis habitis Antiochiae, ut sine ministerio Sacerdotum remissio ob-  
tineri possit; quod tamen intelligendum esset, si vera foret interpre-  
tatio haereticorum.

VII. Quomodo ergo accipienda verba Chrysostomi? Si plura ex  
allatis testimonia perpendas, aegre tibi persuadebis loqui ipsum  
semper de confessione, quae soli Deo fiat, excluso quoque eius mi-  
nistro. Sane si ita est, quaenam erubescientia potest vere habere  
locum? quorsum eius erubescientiae fit mentio, quae prohibet vel os  
diducere? an opus est ore ut Deo confiteamur? cur confessioni, ad  
quam hortatur, opponit confessionem quae fiat testibus praesentibus,  
quae fiat illi, qui ea posset in publicum proferre, qua proditur in  
medium et commune theatrum, exhibitis testibus, qua peccata tan-  
quam pompa in publicum proferuntur? huic scilicet confessioni non  
sola confessio immediate Deo facta opponitur, sed et confessio se-  
creta eius facta ministro, qui sigillo confessionis tenetur.

Praeterea in citata hom. 20<sup>a</sup>. in Genes. habet quidem ante ultima  
verba. « Quali erimus venia digni, si ei, qui omnia nostra ac-  
curate novit delicta, confiteri peccata nolumus? » Verum etsi videa-  
tur solus indicari Deus, cui confiteri oporteat, si tamen consideras  
ad significari quod difficultatem experiantur fideles in hac confessione  
et quod accipere debeant remedia peccatorum ab eo cui confitentur;  
Deus vero, nisi extraordinario modo agat, ea per suos ministros mani-  
festet, facile intelliges, confessionem soli Deo esse confessionem se-  
cretam factam homini locum Dei tenenti.

Advertisendum praeterea est non de eadem re loqui in omnibus

illis testimentiis Chrysostomum, sive non eiusdem rei occasione suadere ipsum confessionem soli Deo faciendam.

Itaque respondemus 1º generatim excludere Chrysostomum confessionem publicam: quod quidem non putamus ex eo factum quod poenitentiam publicam Nectarius abrogaverit, cum fere omnes homiliae citatae sint Antiochiae, ubi mos poenitentiae publicae vigebat; sed vel quia de peccatis loquitur, quae non supponit eius generis esse ut expiari deberent poenitentia publica: vel quia publica aliqua confessio in criminum vindictam numquam fuit in usu Antiochiae vel abrogata fuerat ab aetate Decii. Facit tamen mentionem cuiusdam publicae confessionis, cuius proinde notitiam supponit in fidelibus: quia ut tunc, quemadmodum nunc, in foro externo pro publicis criminibus publica accusatio et confessio habebat locum, quam Chrysostomus significat alienam esse a foro interno seu poenitentiae.

Respondemus 2º identidem excludere quoque quamvis confessionem homini factam, idque ex eo dignosci quod verba eius optime accipi possint de poenitentia pro quodidianis sive levibus peccatis: sic certa ea intellexit auctor hom. 2º. in Ps. 50º.

Respondemus 3º cum in homiliis de Poenitentia enumerat multiplices poenitentiae vias, non mentione facta saltem diserte Poenitentiae Sacramenti, eo spectare Chrysostomum ut doceat quibus actibus homo vel obtinere possit remissionem levium peccatorum, vel se disponere ad impetrandam remissionem gravium criminum, quin exclusive accipi debeant ea media tanquam per se sola sine Sacramento sufficientia: nam nec singula accipi possunt sufficientia, exclusis aliis explicite enumeratis: quomodo enim sola eleemosyna vel oratio sine contritione sufficere queat? (Cf. Origenem superius allatum, et Caesarium Arelat. hom. 13º enumerantem duodecim remissiones peccatorum. Migne Tom. 67).

Respondemus 4º quod uniuscuiusque conscientiae permittat indicium an dignus sit communione, id non excludit necessitatem absolutionis pro mortalibus; nam id et modo affirmare licet, etsi necessitas confessionis credatur: iudicat scilicet quisque an debeat nec ne Sacramento Poenitentiae suspicere, quatenus iudicat an habeat nec ne conscientiam peccati mortalis.

Respondemus 5º non oportere nos esse sollicitos de iis, quae Chrysostomus dicit in Catechesi ad illuminandos, alloquitur enim eos, qui nondum sunt baptizati.

Respondemus tandem 6º ea testimonia quae Deo vel soli Dei faciendam confessionem dicunt eorum peccatorum, quae clavibus ta-

men subiicienda sunt, eo etiam spectare ut sacramentale sigillum confessionis doceant. Cf. de hac re quae dicemus in Th. seq.

VIII. Obiiciunt adhuc plura ex historia veteri. Aliunt enim 1) Patres primorum seculorum hortari quidem fideles ad poenitentiam frequenter, at quin mentionem faciant Sacramenti aut confessionis aut huius praedicent necessitatem. 2) Patres, ad quos provocamus, docere pariter confessionem omnium peccatorum praemittendam esse baptismum, quin tamen ullus concludat eos docuisse necessitatem huiusmodi confessionis pro baptismum. 3) Veteres tres tantum agnovisse poenitentiae species, ante baptismalem, quotidiam fidelium, et publicam lapsorum: atqui ad nullam ex his pertinet confessio sacramentalis eaque distincta omnium peccatorum. 4) Augustinus Serm. 252. De tempore ait quod « quando quis se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, ieuniis vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam praesumat accipere », nulla mentione facta confessionis. 5) Ab initio per aliquot secula nullus fuit minister Sacramenti nisi Episcopus, qui certe solus non poterat omnium confessiones audire: praesertim cum 6) adeo frequens tunc esset communicandi usus. 7) In historiis veterum Sanctorum Patrum nunquam refertur confessio ab iis facta saltem in extremo vitae, quod tamen frequentissime memorari solet in historiis posteriorum. 8) Concilium Cabilonense II an 813. cn. 33. testatur quod « quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent ». Ait vero « quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam ». Subditque « confessio itaque, quae Deo fit, purgat peccata, ea vero, quae fit Sacerdoti, docet qualiter ipsa purgantur peccata ». Ergo non habebatur ut necessaria confessio auricularis etiam sec. IX ineunte.

Respondeo ad 1º. Patres frequenter in suis concionibus ad populum agere de poenitentia: cum ergo poenitentia, quae in Ecclesia agitur, complectatur tanquam elementum necessarium confessionem ex ipsa sententia PPº, ut demonstratum est, haec eo ipso indicatur quod poenitentiae sit mentio; cum autem id notum esset fidelibus, res enim erat ad proxim communem spectans, non erat semper opus eam diserte significare. Nulla igitur difficultas ex quibusdam Patribus, qui confessionis disertam mentionem agentes de Poenitentia identidem non fecerunt, e. g. ex Theodoreto in sermone de Poenitentia et Victore Tunonensi (qui male dictus est Cartennensis) in opusc. De poenitentia in Append. Operum S. Ambrosii.

Ad 2º. Patres nullos considerunt poenitentiales canones, quibus poenae certae statuerentur pro peccatis ante baptismum; non cen-